# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

## VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA.

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-tertiâ menſis Januarii Anno Domini* M. DCC. XLIV.

M. CLAUDIO DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE, Medico Regis & Domûs Reginæ ordinario, Doctore Medico, Præſide.

*An noxia, Febri maligna, vomitoria?*

I

EA malignæ nomen mereatur febris acutæ ſpecies, quam, quia morborum benignorum imagine diu contecta minùs exercitatos deludit, ſic appellari Medicis placuit. Morbus hic, cujus exitus anceps, fallax *prognoſis*, vix ulli, *ſymptomatum* gravitate, numero, varietate, pertinaciâ cedit. Si quis eo ſit laboraturus, ſomni tranquillitatem, deſiderium cibi, ſolitam tùm corporis tùm animi alacritatem ſic imminuta ſentit, ut nec firmiter valere, nec omnino ægrotare ſibi videatur: ut nec à cibo, nec à potu, nec à ſolitis vitæ muniis ſtatim abſtineat; imò iis obſtinatiùs, ſi moleſtum corporis angorem poſſit excutere, indulgeat. Tamdiu ita ſe res habet, donec, creſcentibus animi ægritudine, laſſitudine corporis, ſuccedat capitis, vel nihil vel obſcurè dolentis, ſtupor: vertigo, nauſea, tinnitus aurium, ſumma denique virium defectio. Ægrum, ubi lecto ſe compoſuerit, ſic jacentem obſervabis, ut qui lethargo detineretur; ſic tardum parcumque in reſpondendo, ut qui planè hebeſceret. Eſt ubi interrogantes, immotis (quod *Catalepticum* quid redolet) oculis intueatur. Arteria, ſi non lentiùs quàm in ſanis, ſaltem non multò velociùs pulſat, quam ſi docto ſuſpenſoque digito explores, non nihil rigere difficiliùſque explicari reperies. Et niſi veternoſus ille ſtupor, toto, quod mitius eſt, morbi decurſu duraverit, pejora ſuperveniunt *ſymptomata* quæ, vel depulſis prioribus, uno tenore perſiſtunt, vel diviſam cum ipſis tyrannidem exercent. Pejorem itaque naturam induente morbo, pulſus intenditur, fit crebrior, & quæ primùm lethargo vel *comati* propiora erant, nunc ad febrem ardentem & *phreneſim* magis accedere videntur *ſymptomata*. Sermo igitur, ex tardo & gravi, fit promptior denſiorque; hactenus immobiles palpebræ crebrò nictitant; celeri motu volvuntur, ſcintillant, averſanturque lucem oculi; cutis ardet, rubet facies; qui, adventante morbo, interdum & leviter, tactu judice, in manuum carpis, ſubſiliebant *tendones*, nunc apertè & continuò, cùm ferè ubique corporis, tùm maximè in facie convelluntur. His adde ſitim, vigilias, anxietatem, delirium, *phrenitidem*: alvum in plerîſque pertinaciter conſtipatam, in nonnullis *ichore* tenui, nunc ſubviridi, nunc ſubalbo aut cineritio largiſſimè profluentem; cutim denique aut ſiccam & urentem, aut uberrimo, ſed non critico, ſudore perfuſam. Siccefcit, exaſperatur & nigreſcit lingua, lenta ſanie ſquallent dentes interioraque gutturis. Urina ſæpè, ſanorum haud abſimilis, aliquoties limpida, in quâ nihil ſubſidere ante declinationem videas. Spiritus, ſecùs ac in *pleuriticis*, non continuò, ſed incertis tantùm intervallis difficiliùs agitur. Provecto morbo, nonnunquam attollitur in tumorem alterutra *parotis* vel utraque, quæ ſi ſponte collabatur, interitum, ſi ſuppuret, ſalutem portendit. *Gangrænoſis* etiam ulceribus varias partes affici videas, quorum fœlix aut infauſtus, prout bene vel malè ſuppuraverint, exitus. Nec inſueta eſt ſurditas, ineunte morbo peſſimi, exeunte optimi ominis ſignum: illo præſente nervos cerebrumque valdè comprimi, hoc verò laxari, & flacceſcere putes. *Paroxyſmi* præſentiam certiùs ex cæterorum *ſymptomatum*, quàm ex febris exacerbatione æſtimare licet. Accidit enim ut illis ſilentibus, hæc intendi videatur, hâc remittente, illa ſæviùs ferociant. Nunc pluribus eorum, nunc paucioribus, nunc omnibus ſimul, mortem inter & vitam, conflictatur æger, donec alterutro exitu ſcena claudatur. Decimo quarto aliquoties, ſi benè vertitur morbus, ſæpiſſimè vigeſimo primo die, circuitum ſuum abſolvit; rarò ultrà quadrageſimum excur-

rit. Pueris & ſenibus libentiùs quàm juvenibus parcit, omnium frequentiſſimè vires aggreditur. Omni tempeſtate quod obſervetur, *ſporadicis* annumerari debet, non item contagioſis, licet *epidemicè* nunquam non graſſetur. Præcipua ipſius ſedes caput eſt, cauſa vero lympha tenax cum toto corpore diſperſa, tum maximè cerebro ſic impacta, ut, ibì tardato ſanguinis circuitu, naſcatur inflammatio.

II.

PLURIMA ſunt, nec ſanè contemnenda, argumenta, quibus hæc noſtra de humoribus in febre malignâ relenteſcentibus, firmetur opinio. Quamdiu ritè ſecernitur bilis, leni quo inteſtina vellicat ſtimulo, ex ipſorum glandulis tantùm invitat ſeri, quantùm neceſſe eſt, ut nec cita nimis, nec nimis pigra ſit alvus. Sed tum ſuam ipſa craſſitiem manifeſtè indicat, cùm parciùs ſecernitur. Hinc minùs ſollicitata inteſtina ſegneſcunt, quique ab ipſorum villis *vaſculoſis* ubertim ſtillare debuerat liquor, jam tardior factus ſpiſſeſcit, & tenaci glutine canaliculos infarcit. Non aliunde repetas familiarem, in malignâ febre, alvi pigritiem. Nec contra nos pugnet quod aliquoties, ineunte morbo, obſervetur liquidiſſima. Nihilominus hic vitiatæ bilis ſecretioni debetur, quamvis priori contrarius, effectus. Nihilominus, alvo ſic profluente, adſunt non dubia relenteſcentium ſuccorum indicia. Equidem in excrementis aliquid apparet bilis, ſed æruginoſæ, mordacis, ex hepate, non leni ut ſolet in ſanis oſcillatione, depulſæ, ſed *ſpaſmodicè* extruſæ, quâ duriùs fodicata inteſtina, convulſivo quoque niſu, ſerum quod continent liquidius eructant. Eâdem ſtricturâ fit ut alimenta, in venas lacteas minùs recepta, unà cum excrementis foras trudantur, largamque ventris eluviem augeant. In utroque verò ſtatu adeo non humeſcit corpus, ut æger ſitim, modò non omninò mente capiatur, continuò potu reſtinguere ſatagat. An, ſi te hoc rationali argumento minùs perſuaderi ſinas, huic denegabis fidem quod ſenſibus maximè patet? Mucum dico, viſcoſum meliùs vocaveris, quo palatum, labia, lingua, gingivæ obducuntur: nulloque potulentorum genere temperandam harum partium ſiccitatem. An ullâ ratione fortiùs clariùs ve poteſt res ea demonſtrari, quàm parco (nullo propè dixi) ſalivæ ex faucium oriſque glandulis proventu? Non aliâ fortè causâ obſtructæ *parotides* intumeſcunt. His argumentis accedit ineluctabilis morbi, quibuſcumque remediis oppugnetur, diuturnitas; oppletum enim gravatumque craſſiore ſero cerebrum non ſubitò unquam, ut ſæpe ſolet in phrenitide ſimplici, ſed lentè gradatimque, quod relenteſcentium humorum proprium eſt, expeditur. Inter ea tandem quæ adversùs peſſimi morbi cauſas efficaciora ſunt remedia, nulla videas quæ ſuam humoribus fluiditatem reſtituere non valeant: nec priùs caput planè liberari, quàm laudabili conditione & copiâ bilis fluxerit; quàm gingivarum, linguæ, palati, ſiccas nigraſque cruſtas, ubertim alluendo, ſaliva depulerit; lenis denique mador cutem humectaverit; quæ omnia, ex craſſis, tenuiores factos fuiſſe humores annuntiant.

III.

EX variis cauſis ſimilia ſæpe naſcuntur *ſymptomata*. Sic mentitur apoplexiam ebrietas; *epilepſiam* verò, apoplexiæ ſuperveniens convulſio. Quorum vermes ſtomachum fatigant, renes fodicat aſperior calculus, gingivas dens laborioſiùs erumpens diſtrahit, eos *epilepticos* diceres. Habent etiam quod cum apoplexiâ, epilepſiâ, lethargo confundas *hyſtericarum paroxyſmi*, vehemensque, ab ictu aut caſu, cerebri commotio. Licet eadem ferè omnibus facies, non eadem tamen curatio. Alios affectus ab aliis diſcriminare primum, ſanare alterum artis caput eſt. Primum qui volet attingere, naturam obſervet, qui alterum, imitetur. Vix ulli ſunt in quibus medendi viam monſtret apertiùs quàm capitis morbi, ſive *idiopathici* fuerint ſive *ſympathici*. *Hemicraniam* ſpontaneo vomitu natura ſublevat, eamdem ſanat reſtituto ventriculi robore. Utrumque, non ſine ſucceſſu, artis auxilio imitabere. Dolore capitis acerbiſſimo, phrenitide, lethargo, medio in ſimplicium duplicium-ve tertianarum *paroxyſmo*, quoſdam tentari non inſolitum. Terrifica hæc *ſymptomata*, cùm deferveſcente febrili æſtu conquieſcant, liquet non eſſe reverſura, ſi febrim convenientibus medicaminibus ſuſtuleris. *Cephalalgiam*, familiarem continuæ benignioris comitem, narium *hæmorrhagiâ*, menſtruorum vel hæmorrhoidum fluxu, concoctæ bilis vel per ſuperiora, vel per inferiora copioſo proventu, cùm ſæpè natura compeſcat, ipſa videtur indicare quàm tuti promptique ſit auxilii tempeſtivus venæ ſectionis, *emeticorum*, purgantium-ve uſus. At, quoniam in his morbis fluxilior paratiorque eſt ad exitum humor, nil mirum ſi tam citò & facilè vel naturæ vel arti obtemperet. Idem fruſtra ſperaveris, quum morbi materies glutinoſa, cruda, coctu contumax viſceribus cerebroque imprimis altè profundèque hæſerit. Acutis ejuſmodi febribus ſunt fixi, iidemque remotiſſimi limites, quos, nec citâ unquam criſi, natura contrahere, nec ullis medi-

camentis ars possit. Non otiosum tamen idcirco decet esse Medicum; quæ enim medicamenta nihil, aut certè parùm, præ morbi contumaciâ, juvare videntur, id usu diuturno præstant, ut, remotis paulatim impedimentis, æger ad morbi finem fœliciter perducatur. Malè ergo se gereret qui materiam omnem, validioribus pharmacis, largioribusque venæ sectionibus, in unum coactis, ut ita dicam, copiis, & repentino impetu submovere tentaret. Notissima horum morborum *symptomata*, stupor dolor ve capitis, delirium, prodeuntes sanguinis ex naribus stillæ, *saphenæ* quidem sectionem postulant, sed iis solùm copiâ & frequentiâ quibus satis sit, ut cerebrum à vehementiore sanguinis impulsu, pro re natâ, præservetur. Attenuantibus pugnandum esse suadent summa humorum crassities, fauciumque siccitas, non calidioribus quidem & siccâ formâ præscriptis, sed desumptis ex mitiorum familiâ, multoque potu dilutis. Ineunte morbo vel laxior vel strictior esse solet alvus; hoc in casu biliosam supervenire *diarrhœam* bonum: in illo verò, quæ æruginosa, mucosa, aut serosa fuerat materies, mutari in biliosam: quam, in utroque, sic toto morbi decursu profluere saluberrimum. Hinc colligas alvi fluxum, nisi adfuerit, arte promovendum; si adfuerit, & pravæ quidem conditionis, in meliorem esse vertendum, diuturnoque laxantium usu fovendum. Omnis ergo in his curationis cardo vertitur, ut solidis laxitas, liquidis fluiditas restituantur: ut sanguis à capite revellatur, ut denique bilis, quæ mixta sanguini nervos *meninges*que vellicat, non interruptâ secretione eliminetur. Quæ cùm ritè administrata ad Medici votum succedere soleant, nihil non metuendum esse planum est ab iis medicamentis quæ jam rigentes nervos membranasque acriori stimulo irritent, sanguinique, nimiâ jam vehementiâ in caput ruenti, calcar addant. Quæ incommoda quoniam secum trahere solet vomitorium, in eo rerum statu, ut periculosum fugiatur.

## IV.

VIRTUTEM salis stibii *emeticam*, in iis de quibus agitur morbis, prædicent alii. Quod vel bile, vel quovis alio recremento, turgentem stomachum potenter exonerare valeat, non magna ejus laus est. Frustrà opposueris horum humorum acredine morderi ventriculum, metumque esse ne, si sorbeantur in sanguinem, morbi malignitatem augeant. Saburram hanc si diluentium ope fluidiorem, comminuentium tenuiorem feceris, levi labore per alvum deduces. At illo, inquies, quo stomachus totumque corpus, inter vomendum, agitur motu, sic excitantur torpentes fibræ, ut lympha sanguisque, sicubi arteriarum stagnaverint, propellantur in venas circuituique suo restituantur. Nec de morbo, nec de remedio rectè judicaverit qui ita sentiet. Hoc commodi tamdiu solùm à vomitorio sperare audeas, quamdiu nati ex morâ succorum obices, fortiori cordis arteriarumque *systole*, adhuc possunt removeri. Verùm ubi eò lentoris devenêre, ut insuperabile arietanti sanguini repagulum objiciant, nihil non à vomitorio metuendum est. Hujus agendi modum, ne rem subtiliori duntaxat ratiocinio persequi videamur, experientiæ face consideremus. Non solùm ad vomitorii stimulum stringitur ventriculus. Parem, si non maximam, laboris partem suscipiunt abdominis, septi transversi, imò ipsi artuum musculi, quos sæpè convelli veriùs, quàm contrahi diceres. Validissimâ inspiratione distentus pulmo, coacta in angustum abdominis viscera, spasmodico motu contracti totius ferè corporis musculi, propulsum corde difficiliùs parciùsque admittunt sanguinem, quem eò fortiùs abundantiùsque ad cerebrum decet evibrari, quò, adversùs pressionem exteriorem, osseo calvariæ propugnaculo munitius est, molliorique fibrarum contextu fabricatum. Quocumque igitur impulsionis momento agatur sanguis, si obstructos cerebri canales vi reserare nequeat, superest ut eorum membranas distendat, quibus mox disruptis, intra cranium effundetur. Tanta mala, si, vix constante cerebri inflammatione, ab *emetico* posse concitari intelligas, quantò magis, eâdem provectâ, pertimescenda esse existimabis? Et ne hæc pericula inani cogitatione ficta putes, sequenti observatione monearis qualem vim cerebrum ex forti pectoris abdominisque concussione patiatur. Non mediocri cranii portione sublatâ, puella quædam ex capitis vulnere sic convaluit, ut consolidata cutis amissi ossis jacturam, qualicumque modo, suppleret. Ea cum laminæ plumbeæ, quâ cicatrix firmaretur, consilio Chirurgi diu gestæ, usum semel neglexisset, tussi deprensa fuit, quâ sæviente, ita commotum est cerebrum, ut ruptâ cicatrice, magna hujus visceris portio foras excuteretur.* Non leviores, nec capiti minùs infensi sunt vomentium, quàm tussientium conatus. In utrisque observabis venas colli & temporum inflari, oculos ipsos, imò faciem rubere atque intumescere. Ab utrisque comperies dolorem capitis, si quis fuerit, medios inter nisus, vehementer exacerbari: nonnullosque reperias adeò acutè tunc dolentes, ut sibi cranium in frusta dissilire exclament.

* Obser. Societ. Edimburg. Vers. Gallic, Tom. II, Art. 12, pag. 307.

Ne quid tandem nostræ sententiæ desit ponderis, tres, sanctissimè testamur, ægrotos vidimus, febre continuâ, dolore capitis obscuro, stupore laborantes, quorum unus, in ipsâ vomitorii actione, convulsus periit, alteri duo paucis post vomitum horis occubuere.

## V.

QUOD vomitorium in febre malignâ periculosum arbitremur, adeò non omnem salis stibii usum improbamus, ut contrà suadeamus: modò non largâ, quæ stomachum, ut ita dicam, subvertat *dosi*, sed ita refractâ convenientibusque intervallis distributâ, ut quieto, aut saltem nonnisi leviusculè concusso, ventriculo, in intestina dilabatur. Hoc pacto, quæ extremum, mediante *Tartaro*, nactæ sunt tenuitatis gradum stibii particulæ, si præsertim copioso vehiculo fuerint dilutæ, per omnes intestinorum anfractus longè latéque diffundentur. Ibi quò morabuntur diutiùs, eò glutinosam colluviem solvent potentiùs, mollesque, quibus intùs vestiuntur intestina, villos blandè titillando, quovis purgante tutiùs commodiúsque, per alvum deducent. Sic blandè submota semel alvus sequentibus dosibus obsequentiorem se præstabit. Ne tamen hâc formâ præscripto *emetico* id solùm utilitatis esse credas, ut malè coctam primarum viarum eluviem solvendo deturbare valeat; insignis insuper ipsius dos est, quòd, cùm diu moretur in intestinis, pars ejus non minima, delata per venas lacteas in sanguinem, quaquaversùm distribuatur. Ibi delatum, quod muco intestinorum, vi comminuendi præstitit, id inspissatis totius corporis liquoribus præstat. Obstructos imprimis bile viscosâ hepatis meatus insigniter aperit; alvi enim excrementa ex viridibus aut serosis, iterato per aliquot dies remedii usu, videas æqualia, flava, merè biliosa prodire. Tam mites interim edet effectus, ut vel singulis, si è re fuerit, vel alternis diebus securè possit adhiberi; nec ab ejus usu continuato dissuadebunt flatulenta abdominis tensio, subsultus *tendonum* motusque *spasmodici*, vel sitis ardens fauciumque siccitas, vel omnia denique *symptomata* quibus præsentibus nihil non à largiore dosi formidandum est. At ne semel quidem, instabis, ineunte morbo, & præmissis præmittendis, ubi oris amaror, ructus biliosus, tinnitus aurium, nausea, vomitum postulare videntur, *emeticum* ampliore *dosi* propinare fas erit? Esto, sic se rebus habentibus, eo feliciter plerumque usus sis; sed longè prudentiùs abstinebis. Si enim obstructio cerebri sit ejus naturæ, ut remedio cedere nequeat, delicatior verò ægri stomachus facilè ad vomitorii stimulum in violentos motus rapiatur, quod utrumque ex signis exterioribus vaticinari nequeas, morbum ex maligno, quantùm ex suprà dictis patet, maligniorem facies. Pleniorem *emetici dosim*, bis tervè paucis horis cumulatam, in apoplexiâ bene succedere ne objicias. Diversa est hujus morbi & malignæ febris ratio. Tantus est in *apoplecticis* nervorum stupor, ut, *emetico* in intestina priùs delapso, quàm ejus vim senserit ventriculus, per superiora rariùs, sæpiùs per inferiora purgentur. Præterea non tam crassitie, quàm copiâ, peccat eorum sanguis; non *lymphaticis* cerebri, sed sanguineis tantùm vasis hæret, morbusque non paulatim, ut febris maligna, sed repentè nascitur: quare nil mirum, si vomitorio citò resolvitur, Imò in eo morbo tam facilè circuitui suo sanguis restitui potest, ut sæpè sectâ venâ, sine *emetici* auxilio, æger ad se redeat. In febre verò malignâ, quæcumque remedia adhibueris, nunquam ante tempus caput videas planè liberari, sæpiùs verò malum vomitorio exacerbari. Stet igitur nostra conclusio,

*Ergo noxia, Febri malignæ, vomitoria.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Silvester-Antonius le Moinac.*
*M. Petrus-Josephus Macquer.*
*M. Josephus-Maria-Franciscus de la Sône, Regiæ scientiarum Academiæ Socius.*
*M. Julianus Busson.*
*M. Petrus Bercher.*
*M. Urbanus de Vandenesse.*
*M. Henricus Besnier.*
*M. Joannes Bessé, Dotariæ, Hispaniarum Reginæ, dum viveret, Medicus Primarius.*
*M. Antonius de Jussieu, Regi à Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Prussiæ Socius, Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor ac Demonstrator.*

Proponebat Parisiis, CLAUDIUS BOURDIER, Borbonii Arcimbaldici, Saluberrimæ Facultatis in Universitate Parisiensi Baccalaureus, A. R. S. H. 1744. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi, 1744.